Vredemani de Arquitectura

4

IOANNIS VREDEMANNI FRISII,
Architectorum ſui ſeculi facile principis,

ARCHITECTURA:

CONTINENS

Quinque ornamenta Architecturæ, ſcilicet

ATTICVM,
IONICVM,
DORICVM,
CORINTHIVM, &
COMPOSITVM:

ITEM

Regulas, demonſtrationes ac figuras perfectiſſimas.

Opus Mathematicis, Architectis, Pictoribus ac Lapicidis perutile ac neceſſarium.

Studio atque opera ſummi Mathematici
SAMVELIS MAROLOIS
recognitum atque illuſtratum.

AMSTELODAMI,
Sumptibus ac typis IOANNIS IANSSONII.
Anno M. DC. XXXIII.

AD LECTOREM.

NE aliqua imaginatione nimis magni laboris difficultatisque absterrearis, Benevole Lector, ad Architecturæ Symmetriam attingendam, cogitando, (ut multi putant) quod hodierno die multò subtiliora opera secundum artem in usu sint, quam olim esse solebant, eaque de causa animũ ne despondeas, deserens id quod alioquin facilè foret adipisci, animique hæsitatione derelinquens studium à quo id omne pendet. Vt autem à tali opinione libereris, vide, quid non fecerit solers illa antiquitas: sicut legimus in Diodoro & in aliis plerisque veteribus Babyloniæ. Illi namque pomaria habebant & hortos, tam elevata à terra ut nullam Civitati lucem adimerent. Neque hoc tantum, sed integra quidem Civitas, quam Busiris fabricandam curaverat, in circuitu habebat 150 stadia, erantque in ea 150 stabula, & in eorum unoquoque 200 equorum locus, præterea 150 portæ. spissitudo muri erat 24 pedum, pulchris admirabilibusque ornamentis, ut Plinius testatur. Item ipsemet Plinius scribit de Amasis sepulcro, juxta quod tres Pyramides 88 annorum triumque mensium spatio exstructæ fuere. ad cujus primæ fabricam fuerunt 260000 viri, qui 20 annorum spacio eam absolverunt: lata erat inferius in quovis ejus quadrato 883 pedes, & in summitate ejus 15. secunda lata erat 737 pedes. tertia minor erat (ait ille) sed aliis multò exquisitior: ejus latitudo erat 363 pedum: hæc tam affabre exstructa erat, ut lapidum suorum connexiones, nequaquam deprehensibiles essent. Idem Plinius cap. 13 refert de Labyrinthis. Quorum primus & admirabilior in Ægypto erat. Cujus exemplo Dędalus alterum in Candia fabricari fecit, nullo modo tamen huic comparabilem. nam in illo non solum innumerabiles erant semitæ, hominum seductiones, sed multæ etiam portæ, ostiaque, quæ unumquodque singulatim Labyrinthus unus erant. Tertius in Lemno factus fuit. Quartus in Italia. sed hujus Cretensis Italicique (ait ille) nullum amplius extat vestigium. Item intra Græcorum opera in Halicarnasso erat Mausoleum, ex septem miraculis unum. Plinius testatur hoc habuisse 36 Columnas: sed Cęsarianus dicit se à quodam Græco ignographiam ejus habuisse, quæ figurata erat portu semicirculari, à quo videbatur magnum illud stupendumque palatium Regis Mausoli, supra se habens colossum, qui vocabatur Acrolithon, &c. Item in Asia erat magnum illud celeberrimumque templum Ephesinæ Dianæ, Actor. cap. 19. quod annorum 220 spacio (à tota Asia) absolutum fuit. exstructum erat à laudatissimo Architecto Ctesiphonte: sed Vitridius dicit illud à Gnesio filioque suo Metagine inchoatum, absolutumque a

Demetrio fuisse. Hoc Templum longum erat 425 pedes, latumque 220. ejus columnæ erant 127 numero, unaquæque columna a singulari cuidam Regi dedicata. harum triginta sex sculptæ erant, ut Romæ fuere columnæ Antonii, Adriani, & Traiani. sed una earũ erat Scopæ Architecti, excellens supra alias omnes columnas. Si omnia summatim recenserem, perpulchra illa ædificia Trojæ, Templi Sophiæ, Meschitarumque, Panthei Romani, Obeliscorum, Pyramidum, Sepulturarum, &c. vita mihi deficeret. Animadverte adhuc hodie Civitates illas Asiæ, ut sunt Cambali, Cathay, Singui, quæ ambitu continet sexaginta miliaria, ut M. Paulus testatur. Et Civitas Quinsay habens in circuitu centũ miliaria, in qua sunt duodecim mille pontes lapidei. Item Temixtatius ejusque Palatia & Templa, ut Ferd. Cortesius refert. Hæc & olim elapsa (à veteribus nostris fabricata & exstructa) bene considerata, non videtur mihi, aliquid in mundo esse, quod nobis delectamenta studiorum adimere, rapere, aut denique extorquere possit. Hoc hîc memorare volui, ad suscidandos spiritus illos somniculosos versus studia: nam si voluerimus contemplare & considerare inexplicabilia illa Architecturæ miracula, cujus monumentis universus undique mundus repletus est, unanimiter confiteamur oportet, quod tale quicquam conari, absolvereque, non fuit ausus inertium crapulonum, sed sagacissimorum, gnavorumque Architectorum, qui indefatigabili studiorũ serie hanc structuræ artem adepti sunt. Hisce volo hoc opus discretioni vestræ commendare, sperans hunc nostrum pretiosum laborem à multis grato receptum iri. In illo enim spectanda sunt quinque columnarum ordines & ornamenta secundum Architecturæ Symmetriam, videlicet Thuscanę, Doricę, Ionicę, Corinthię, & Compositę. Item insuper diversa etiam pulchra magnificaque ædificia Architecturę, perspectivè posita, quæ inventa & figurata sunt à celeberrimo illo *Iohanne Vredemanno Frisio*, qui 40 annorum spacio in hac arte tam gnaviter navavit, ut ęternum nomen obtinuerit, quod unusquisque summopere ambire deberet, tam honoris, quam emolumenti utilitatisque gratia, quæ exinde nobis affluunt.

QUID ARCHITECTURA SIT, ET DE INSTRVCTIONE ARCHITECTI.

ARchitectura est structuræ, aut (ut ait Cæsarianus,) Architecti ars, multifariis sciētiis & doctrinis exornata, cuius judicio, norma & regula ferè omnia alia opera aliis artificiis elaborata, probātur. Oritur autē ex Practica & Theorica, sive Fabricatura & Ratiocinativa. Fabrilis ars acquiritur continuo exercitationis usu qui manibus perficitur, cum aliquid ex aliqua materia fit, qualiscunque ea sit. Ratiocinatio est sagacitas acquisita per positionem rerum ædificatarum, reddens rationes de proprietatibus earum. Inde evenit ut Architecti, qui absque doctrina laborarunt ut artificii magistri evaderent, aliquod nomen obtinere non potuerint. Similiter videtur quod ii, qui rationibus & literis tantummodo freti sunt, umbram & non rei veritatem secuti sint. Sed qui hæc ambo didicerunt, brevi, ut strenuè armati auctoritate, ad id, quod intentebant, pervenerunt. Idcirco doctrina ad hanc artem attingendam necessaria est, & intellectus ad percipiendam doctrinam. Quamobrem (ut dicit Vitruvius) decet ut Architectus sit literatus, & sciat graphicè delineare: Insuper Geometriam, Opticam, & Arithmeticam: habeatque notitiam multarum historiarum, & Philosophos audierit: ut noscat etiam Musicam, Medicinæ scientiam, Civitatum Regionumque leges, & Astrologiam. Cur autē hoc necesse sit, hæ sunt (dicit ille) rationes: Si literatus fuerit, poterit libris coroborare memoriam: si graphicus, demonstrare id quod facere voluerit: Geometria docet usum circuli, regulæ, normæque: ad struendum utilissima: Per Opticam & Perspectivam ex certis regulis & reflexionibus lumen in domibus bene aptatur: Arithmetica computantur impensæ & mensuræ: difficiles quoque quæstiones symmetriæ inveniuntur rationibus Geometricis. Historiarum diversarum lectio illum etiam docet: quia multorum ornamentorum rationes eum reddere oportet. Veluti si quis fecerit imagines fœminarum vestitarum, quas *Cariatiades* vocant, ponens eas in aliquo opere pro

fulcimento, superaddens mutulos & coronas: hic interrogatus, respondebit: Caria fuit olim Civitas in Peloponneso, Persis amica, inimica Græcis: quam ubi Græci oppugnassent devicissentque, occisisque viris, fœminas illinc captivas abducerent: non permiserunt ut ornamenta sua seponerent, neque etiam vestimenta: ut eorum triumphus tanto pulchrior esset. Propterea faciebant præcipuè Architecti tales fœminas in vulgaribus structuris, quò Cariæ vindicta semper memoraretur. Hoc modo fecerunt & Lacedæmoniense, cum catervas magnas parvis copiis Persarum devicissent. tunc triumphantes, fabricabant porticum æternæ memoriæ gratia, in eâ collocantes figuras captivorum, barbarico amictu, quæ sustinebant & portabant tectum. quamobrem ab amicis suis metuebantur: & cives aspicientes eas, incitabantur ad defensionem libertatis. & hoc exemplo, post Pausaniæ victoriam, multi posuerunt figuras Persarum, & super illas componebant epistylia & coronas, intersertis Phrygionibus exornatis splendidis brabeis spoliorum, ut erant carchesiæ, pateræ, torques, coronæ, quæ apud Persas vulgaria erant, & sub pedibus ponebantur, postea Stylobatæ, quibus inscribebant titulos eorum. Tales historiæ plus satis inveniuntur, quas scire Architectum decet. Quod ad Philosophiam attinet: hæc reddit eum non inflatum, sed affabilem, justum, fidum, absque avaritia: quia sine fide, fidelitateque, nullum opus potest decenter perfici. Per hanc discit omnium rerum naturas cognoscere. Multę etenim quęstiones scitu necessarię sunt: ut aquęductuũ decursus & circumductiones: camporum planities: nunc hoc, nunc alio modo fiunt expulsiones naturalium spirituum. ad quarum notitiam nemo te adjuvare potest, nisi is qui naturam ejusque principia cognoscit. Ecquis legit Ctesiphontem aut Archimedem, vel id quod alii de hac re scripserunt: & poterit ea absque Philosophia intelligere? Musicæ cognitionẽ requirunt Ballistę & Scorpiones, Symphoniarumque inventio in theatris: quę nunc apud nos nullo in usu sunt. horum loco sunt hodierno die campanarum fusiones, organorum fabricę, singularia per se artificia. Porro, per Medicinam cognoscere oportet inclinationes Cœlorum, Græcè Climata: & salutarem vel pestiferam regionem aëris, aquarumque etiam differentiam: ad dijudicationem habitationis congruę. Item oportet etiam ut cognoscat jura municipalia circa hęreditatum divisiones, luminum & aquęductuum partitiones: ni absque discretione opus suum perficiens, herum magnis detrimentis afficere velit. Ex Astronomia cognoscuntur oriens, occidens, meridies & septentrio: rationes cœlorum, ęquinoctia & solstitia, stellarumque cursus. qui horum notitiam non habet, nullo modo rationes horologiorum, umbraculorum, sciatherę, & gnomonis, intelligere

potest,

potest, uti ea aliquando in aliquibus ædificiis in usum veniunt. Propterea ne sagax quidem Architectus sibi unquam, se perfectum esse, persuadebit.

Vt igitur redeamus ad nostram Architecturã: distinguitur ea dispositione & constitutione, eurythmia & congruitate, symmetria, decore vel ornamento, & distributione specierum: quę in dispositione (Grękè dictę Ideę) sunt hæ tres: Ichnographia, Orthographia, & Scenographia. Ichnographia est usus circuli & normæ in planitie & fundamento ædificiorum. Orthographia est aspectus à fronte erectus, per Ichnographiam ad figuram futuri operis satis congrue fictus. Scenographia venit lineis suis super centrum à fronte vel à latere. Eurythmia est breviter, quando omnes partes operis pariter conveniunt: veluti quando altitudo latitudini, latitudo longitudini proportione vel symmetria convenit. Symmetria est conveniens proportio omnium partium operis, cum quęlibet pars figuræ totius operis certam suam habet mensuram: ut, in corpore humano, ex cubito, pede, palma, & digito, quædam symmetria constat: sic & est in operis perfectione: sic invenimus in ędibus sacris, quod ex spissitudine columnarum reliquæ proportiones deprehenduntur. Decor est ornamentum, quod fit statu, consuetudine & naturâ. Status: quando Iupiter, Sol, & Luna, in hypęthris, hoc est, desuper aperti, subtus cæruleum cœlum, ponuntur. tunc enim splendor eorumque potentia propalam sunt. Sed Mars, Minerva, & Hercules, erunt Doricarum ædium: quia virtutes eorum sine deliciis ędes magnificas habebunt. Venus, Flora, Proserpina, fontium sylvarumque Nymphæ, Corinthiacas habebunt ædes, propter earum mollitiem & voluptatem. Iuno, Diana, plerękue aliæ iis similes, habebunt ædem Ionicam: quæ mediocris est, intra gravitatem Doricam, molliciemque Corinthiacam. Consuetus decor est, ut magnis ædibus adsint & magnę portæ, pulchræ porticus, intus & extra ornamentis suis invicem convenientes. Quod ad aëris captum attinet: cubicula, bibliothecęque, fiunt Orientem versus: balneæ, hybernacula, ad Occidentem: cellaria, scribendi loca, ubi continua luce indigemus, ad Septentrionem. sed hoc magis fit secundum loci quam optionis commoditatem. Distributione utimur, quando non quærimus id quod absque magnis impensis adipisci non possumus: quia ubique non adsunt marmor, abies, cupressus, & similia. Item etiam secundum conditionem aut dignitatem fabricantis: quia rustici, civis, mercatioris, & nobilis domus, non decet ut sint consimiles.

Item, Architectura divisa est in tres partes: quarum una est Aedificatio. Quæ est duplex: propria, & communis. Rursum, alia est mu-

rorum, turrium, portarum, &c. alia templorum & sacrarum ædium. Item, aliquæ ædificationes fiunt propter commoditatem: ut portuum, mercatuum, porticuum, æstivorum, & platearum, &c. Oportet pręterea locorum salubrium rationem habere, ad evitandum malum aërem: ad etiam congruè ponendum muros & turres, eosque semovendum à plateis, ut, in quantum fieri potest, illos à pravis ventis liberemus.

Et, ut Architectus seipsum tanto magis exploret, hîc exemplum maximi quondam Architecti, Democratis dicti, recensebo. Qui, plus æquo suæ sagacitati & scientiæ confidens, ad Alexandrum Magnum venit, cum is sibi Asiam subjiciebat: non nisi post magnas molestias ad ejus colloquium admissus. Hic erat vir procerę staturæ, pulcher facie, eloquio & virtute excellens: sed sibi & donis naturalibus suis nimium fidens. Nam, relinquens vestimenta sua in diversorio, unxerat corpus suum oleo valdè redolenti: imposueratque capiti lauream coronam, humero sinistro leonis corium, & dexterâ clavam gestabat, plus minus ut Hercules depingi solet: atque ita regiam ille magnifice accedebat. Vnusquisque mirabatur (ut etiam Rex ipse) qui talem personam videbat. Interrgatus, quis esset, respondit Regi: Ego sum Democrates, ille magnus ex Macedonia Architectus, tibi adferens imaginem vel figuram ad gloriam tuam. Videlicet montem Atho figurabo ego hominis instar: qui in manu sinistra tenebit civitatem magnam: in dextera pateram, qua recipiens omnes totius montis aquas, eas in mare præcipitabit. Alexander novitate hac valde gavisus, interrogavit, an circa illum agri vineæque essent nutriendo supradictæ civitatis populo sufficientes. Sed audito quòd nõ, evanuit conatus. Non fuit tamẽ derelictus Democrates: sed ædificavit in Ægypto civitatem, nomine Alexandriam. Exinde considerare possumus, quod tunc temporis Architecti fuerint, qui nõ solum sciebãt sculpere capitella, zophoros, coronas, &c. sed quod & huic tantus fuerit animus, ut auderet & montem Atho arripere, sperans ex tam immani monte statuam facere. Quam si perfecisset, excelluisset illa profectò omnia miracula sepulturarum, sculptilium, & architecturarum: quinimò sepulchrum Amasis ad perpetuam memoriam positum, Mausoleumque ipsum superasset, sicut ipse Alexander omnes præcellebat Principes. Hanc brevem relationem ad propriam suam institutionem arripiat Architectus, ut ad nostri libri doctrinam attingere possit.

DESCRIPTIO
de ordinatione ornamentisque
THUSCANÆ.

Vod ad Thuſcanam attinet, ea communiter in uſu prima eſt, quamvis teſtimoniis multorum veterum ſcriptorum Architecturę, Columna Dorica ante omnes alias fuerit, quà primitus uſi ſunt. Sed cum hæc infima & ſic prima in opere facta eſt, hanc etiam primum ante alias explicabo, & tam ſuccinctè quã dilucidè mihi poſſibile fuerit ejus proprietates recenſebo.

Thuſcana igitur nonnunquam in ſex, aliquando in ſeptem partes ſuæ altitudinis cum Baſi & Capitello ponitur. quævis pars ſumitur ex magnitudine ſpiſſitudinis columnæ ab infra; ſed cum ſex partes magis in uſu ſint, ſic etiam figuram ejus hic formabo, & hoc pro communi regula, ſicut illud experientiâ ſatis affirmare poſſum. Nihilominus ſecundum operis exigentiam, poterit Architectus talem columnam accõmodare, ponens illam in ſeptẽ aut ſinens in ſex partibus. Quod ad poſituram ejus attinet, à Baſi motum ſumens, fit altitudo dictę Baſis, ut medietas ſpiſſitudinis Columnę: & hac bifariam diviſa, una pars pro Plintho: altera dividitur trifariam, quarum duę habebunt Torum, tertia pars Cinctam: ad Baſis projecturam faciendam, duces circulum tam latum, quam columna tua inferius eſt. hîc in hac figura tibi defigurata extra dictum circulum, quadrangulus formatus eſt, & extra quatuor angulos dicti quadranguli, ductus eſt & alter adhuc circulus, tangens quatuor angulos ſupradicti quadranguli, & hęc eſt projectura eius. Et quamvis alię Baſes habeant Plinthos ſuos quadratos, attamen (ſecundum Vitruvii doctrinam) erit hic rotundus, ſic enim plus in uſu ſunt. Quod ad Columnam, fit ea quarta parte gracilior ſuperius quam inferius ex quovis latere Colũnę octava parte, & hoc tali modo: Truncus aut corpus Columnę ſecundum altitudinem dividitur in tres partes æquales. tertia inferior pars, recta ſurſũ ibit. tunc ducito ſuper eam ſemicirculũ, & ſine duas lineas perpẽdiculariter venire à ſummitate Columnę uſque ad prædictum ſemicirculum, ſupra quem hîc formatę ſunt quatuor lineæ parallelæ, perpendiculariter aut rectà ſurſum ductę, ſecundum figurationem tuarum duarum ſuperiorum partium (quas etiam in tot ęquales partes formare potes quot vis.) ex iis valde commodè Columna duci poteſt, abſque marginibus omnino. & hunc modum oportet ſequi in omnibus aliis Columnis, ſicut hęc figura oſtendit. Quod ad Capitellum, illud fit ſecundum altitudinem Baſis, dividiturque in

tres æquales partes. ex una parte fit Abacus. altera quadrifariam dividitur. ex iis tres partes ſunt pro Echino, quarta pro Annulo aut Cincta. Hanc partitionem tibi etiam demonſtrat figura. Reliquam tertiam partem habebit Phriſa. Super hanc ponuntur Architrabes, & Phriſę, Coroniſſę. Architrabes fiunt ſimili cum Capitello altitudine, & Tęnia debet habere ſextam partem Architrabis. Phriſa erit ejuſdem altitudinis ut Architrabs cum Tænia, habebitque Coronamentum etiam ſupra dictam illam altitudinem. dividiturque in quatuor partes æquales: una illarum habet Cimationem, duę Coronam, & reliqua Cimationem ſupra. Projectura debet fieri ut altitudo totius Capitelli, potius magis quam minus, & ſub Corona fiunt communiter Canaliculę, ſive magnę ſive parvę ſecundũ operis exigentiam. & cum lapides id ferre poſſunt, poteſt projectura benè extra quadratum fieri: convenit ea tunc deambulationi & eſt aptior ad decutiendam aquam. Quod ad Stylobaten aut Pedalem attinet, videtur, quod olim in hac Columna non utebantur illo, certa regula aliqua, cum pauci ejus mentionem faciant, & in antiquis diverſimode his operati ſint. In hoc verò ſequens inſtitutionem S. Serlii, facies corpus exacte quadratum abſque Baſi, aut Sema: quæ unaquæque quartam partem hujus, quadrato corporis habere debent, taliter ut Pedalis aut Columnæ pes habet ſex partes æquales in altitudine & quatuor in latitudine: ſic enim dividitur Columna in ſex partes. Similiter & Stylobates, Sema & Plinthus non ſculpuntur, quia decet ut omnia ſe mutuò ſequantur. Et ſic hîc breviter enarratum eſt, quod dicendum habui, ſecundum inſtitutionem Vitruvii, Cæſariani, & Sebaſtiani Serlii ſuper Columna Thuſcana, uti & prima tibi demonſtrabit figura, & aliæ eam ſubſequentes ad tui corroborationem.


k. Abacus.
i. Echinus.
h. Annulus siue cincta.
g. hypotrachelium.
siue ybrise.
f. Astragalus.
e. Annulus.
THVS CANA
PRIMA
FIGVRA
d. Cincta.
c. thorus.
b. plinthus.
a. proiecture.
l. Cimatium.
m. Corona.
n. Cimatium.
o. Zophorus.
p. tenia.
q. Epistilium siue Architr
Corona.
Zophorus.
architrabe.
Cima.
plinthus.
Stilobatj
siue
pedes tali.
D

DESCRIPTIO
de ordinatione ornamentisque
DORICÆ.

Primùm ad Basim venio. Sunt de ea diversæ opiniones: nam antiquitùs sæpe hæc Columna absque Basi usitata fuit, ita ut, quod aliqui putant, hæc nullam Basim, aut saltem nullam ejus certam regulam, habuerit. Sed Vitruvius loquitur lib. 3 de Basi Atticurga: quam ego pro Dorica teneo. Et hanc etiam laudatissimus ille Architectus Bramantus observavit, & in opere posuit hac Columnâ. & cùm hic ferè omnes anteiverit Architectos, alium non quæremus, veritatis imitandæ gratia. Hunc igitur imitantes, faciemus Basim altam ut medietatem spissitudinis Columnæ: inferius hujus altitudinis habebit Plinthus tertiam partem: reliquæ duæ partes in quatuor erunt divisæ: habebit earum unam Torus superior: aliis tribus partibus in duas divisis, erit una earum pro Toro inferiori, alia pro Schotia vel Trochilide. Annulus aut Cincta supra & infra Schotiam debet unaquæque septimam partem habere, quemadmodum in figuris videndum est. Item, hæc Columna dividitur à Vitruvio in Modulos: spissitudo nempe Columnæ inferior in duos, totalis altitudo cum Basi & Capitello in quatuordecim Modulos. ita ut truncus Columnæ contineat duodecim Modulos, Basis & Capitellum singula unum, simul quatuordecim Modulos. & hoc omne pro regula communi hujus Columnæ. Altitudo Capitelli dividitur trifariam. Vna pars erit pro Hypotrachelio aut Frisa: ubi etiam Columna sexta parte gracilior esse debet, quam infrà. Item secunda pars pro Echino: quæ etiam trifariam dividitur: quarum duæ partes relinquuntur Echino, & tertia Annulo. Vltima tertia capitelli pars dividitur etiam tripliciter: una pars est pro Cymatione, alias duas sibi retinet Plinthus. Projectura aut Corona erit ut altitudo Abaci: sic enim erit illa aspectu grata & scitè constructa. Vitruvius non tam prominentem eam facit. Sed, mea sententia, minorem id habet gratiam. nec etiam antiqui suum secuti sunt modum, aut saltem pauci. Sed perpendere oportet secundum quod opera aut elevata aut depressa sunt. Idcirco vult Vitruvius Architectum Mathematicâ scientiâ institutum esse. Præterea supra prædictum Capitellum ponuntur Epistylia aut Architrabes: cujus altitudo debet esse unius Moduli: & hic debet in septem partes dividi: una earum erit Tænia: Subtænia, & Guttæ erunt simul sexta pars unius Moduli. Guttæ eruntsex numero, pendentes sub Triglypho: cujus altitudo erit sesquimoduli: ejus latitudo unius Moduli: qua in duodecim divisa, relinquitur à singulo latere pars ad dimidium Canaliculi: ex reliquis decem debent sex Triglyphorum plano dari, & quatuor Canaliculis in medio. Triglyphi distabunt ab invicem sesquimodulum: quod interstitium Vitruvius Metopon vocat. In illo scalpuntur vulgariter capita boum mortuorum, & alternatim patinæ rotundæ, ornatus gratia. cujus ratio hæc est, quod gentes olim ad animalium suorum sacrificia patinis utebantur. Potest etiam metopon vacuum relinqui. Supra Capitellum Triglyphi ponitur Corona cum duabus Cymationibus: una supra Coronam, altera subtus: altæ dimidium Moduli. Quæ dividuntur in quinque partes: quarum tres sibi retinet Corona, & quævis Cymatio unam. Supra Coronam ponitur Schema, altitudinis dimidii Moduli cum octava parte: & hoc pro Tænia. Projectura, aut Coronæ exstantia, habebit duas tertias partes unius Moduli. Inferius contra projecturam ponuntur ordinatim Guttę, sex ab invicem, & latæ tres. & intra spatium Guttarum scalpuntur aliquando

 fulmi-

fulmina, aut locus relinquitur vacuus. Projectura Schematis debet esse ut altitudo est. Item si volumus striare Columnam aut cum canalibus facere, oportet ut sint viginti numero: & hæ striæ fiunt ex uno quadrato, quod latitudinis striarum est: in cujus centrum circulus positus veniens ab uno angulo ad alterum, retinet quartam partem unius rotundi circuli. & hoc modo utimur iis in Dorica, sicuti in hujus figura videre licet. Ad faciendum nunc subter hanc Columnam Stylobathen aut Pedale, cum ejus nullam peculiarem notitiam det Vitruvius, recensebo id quod Cæsarianus de illo scribit: qui (meo judicio) potiorem hujus rationem reddit, seseque jactat hujus gratia antiquos pervestigasse. Pedale sumit à fundo initium: ubi illud debet esse latum (ait Vitruvius) ut spissitudo duarum columnarũ, & altum (dicit Cæsarianus) ut spissitudo trium. Inferior latitudo est in octo partes divisa. ex sex intimis ejus partibus exstruitur Stylobathes aut Pedale. duæ partes reliquæ relinquuntur Projecturæ. unam earum octo partium in altitudine habet Plinthus: similiter & Basis unam, & cùm erit Dorica, erit & superior Cymatio ejusdem altitudinis & spissitudinis cum ornatu insculpto Trygliphis, & cum Metopo, cum Tæniâ & Guttis. Hoc Pedale valdè scite ordinatum est secundum symmetriam. nihilominus haud ab re judicavi, aliud adhuc hîc recensere, & figuratum proponere Sebastiani Serlii: qui etiam ex symmetriâ bonam adducit rationem: Initium à Plintho si sumatur, columnæ basis Pedali similis erit & perpendiculariter procedens; (ait ille;) & Pedalis corporis planities altitudinis primò ponetur quadrangulariter; & circulus in uno ex infimis angulis positus, hîc notatus *a*, usque ad angulum *b*, & ex inde ad angulum *c* ductus, corporis altitudinem constituet. quæ in quinque partes dividetur. talium partium unam addemus adhuc pro Cymatione cum dependentiis suis; & alia pars dabitur Basi. tunc erit Stylobathes aut Pedale ex septem partibus, sicut & Columna est. Et hoc tibi dilucidè in hac figura demonstratur, & sic quam brevissimè habes, quod habui super hac Columna Dorica dicendum.


DORICA.
1⅛ modul.
1½ modul
1. modul
metopa
epistilium
z. Scima.
y. cimatium.
x. corona.
v. capitellum triglyphi.
t. triglyphos.
s. tenia.
r. gutte.
q. epistilium.
modul.
y. cimatium.
o. plinthus.
n. echinus.
m. cimatium.
l. phrise.
k. spira.
i. thorus superior.
h. scotia siue trochilus.
g. supercilium.
f. thorus inferior.
e. plinthus.
d. cimatie.
c. corona.
b. basis.
a. plinthus.
F


Ignographie.
cimatium.
plintbus
abacus
Echinus.
cimatium.
pbrise.
Scima.
corona.
capitellum
guttæ.
fulmini
tenia
guttæ.
cimatie.
corona.
Stilobatum
basis.
plintbus.
DORICA. 2.
20.
20.
spira.
tborus superior.
superficium.
Scotia.
superficium.
tborus inferior
plintbus.
G


A
Capitellum.
B
Capitellum.
C
Capitellum.
Hæ bases et capitella cum diversis alijs S. Serli se
mensurasse testatur hodieq; in Italia videntur in ordine
DORICA
in quibus antiqua plurimum differunt secundum
Vitruvium attamen ornatus gratia
hic posui:
basis.
A
A. he basis et capitella Romæ in foro boario videntur.
B. hoc capitellum inventum est prope pontem fluminis
Teveron nominati.
C. hoc capitellum in Pesaro est.
A
basis.
H

DESCRIPTIO
de ordinatione & ornatu
IONICÆ.

Vemadmodum Columna Dorica ſumitur à forma Viri; ſic & hæc Ionica fit ſecundum exemplar Mulieris. nam ſicut illa habet pedem minorem, ſic & fecerunt etiam diametrum hujus columnæ graciliorem, & tenuiorem. Hæc columna Ionica communiter fit ex octo partibus altitudinis ſecundum ſpiſſitudinem ſuam ab infra, cum Baſi & Capitello. Vitruvius dicit, ex octo partibus & dimidia. Fit etiam illa ex novem, pluribus, &c. ſecundum quod Architectus penſitando id conducibile judicat. Sed ego pro communi regula dico, quod Baſis fit ſecundum dimidium ſpiſſitudinis columnæ, & quod Plinthus debet hujus habere tertiam partem. reliquo in ſeptem partes diviſo, dabuntur ex iis tres Toro: & aliæ quatuor manent pro Schotia aut Trochilo, cum Aſtragalo. Aſtragali erunt octava pars Trochili; margines aut ligacula quarta pars Trochili. Ambę Schotiæ fiunt unius altitudinis. Projectura erit à quovis latere octava & ſextadecima pars. Sic erit & Plinthus quarta & octava parte à latere major quam ſpiſſitudo columnæ ab infra. Cincta aut lumbus ſubtus Torum, (à Vitruvio Supercilium dicta) cum illa à magnitudine & ſpiſſitudine Tori deprimitur; bonum videtur mihi, eam medietate latiorem facere, quam aliam: nam cum columnæ Baſis ſub viſum cadit, oportet ut Cinctæ, quæ alioquin æquales ſubtus exiſtunt, majores fiant. & cum Baſis ſupra viſum ſtat, ſuper Stylobatha, aut aliter, oportet facere inferiores Cinctas latiores: ſic enim oportet in occurſum pulcri viſus ire. Inſuper cum propter magnitudinem hujus Tori, diverſi ſint homines curioſiores, quibus hæc Baſis non ſatis arrideat; idcirco & aliam hîc ex Sebaſtiano Serlio appoſui, uti in hac figura videre potes: & quidem ſequenti modo: Plintho, ut ſupra diximus, facto, reliquoque in tres partes diviſo, habebit unam earum Torus. Aliis in ſex diviſis, dabitur una earum uno Aſtragolo cum Cincta aut lumbo ſuo. ſed Cincta habebit tantummodo dimidium latitudinis Aſtragali. Cincta ſubtus Torum ſit tam lata ut Aſtragalus: & reliquum habeat Schotia. Alia tertia pars ſimiliter in ſex partes ſit diviſa. quarum una pro Aſtragalo faciat: dimidia pertineat ad Cinctam; dimidiaque ſupra Plinthum recumbat: & quatuor aliæ partes pro Schotia remaneant. Præterea fit & Capitellum, altum ſecundum tertiam partem Columnæ ab infra; & anterius Abaci fit latum ad ſpiſſitudinem unius Columnæ cum adhuc decima octava alia parte; quæ ſimul ſunt decem & novem partes. ſeſquipartem interius ducetur linea Catheta, ſupra longitudinem novem partium & dimidiæ pendens ultra medietatem Capitelli. Abacus erit altus ſeſquipartem: cujus anguli an verſus ſiniſtram aut dextram ducantur, perinde eſt; utrumque antiquum eſt. Reliquas octo partes, quæ ſub Abacũ pendent, debent habere Volutæ. Ab Abaco deorſum uſque ad infimum oculi, ſunt quinque partes: quarum unam retinet oculus: & hæc pars dividitur in ſex æquales partes. Tunc circinus ponitur ſupra Num. 1, ut Abacum tangens, ſic inferius ducatur uſque ad lineam Cathetam. Pone tunc circinum ſupra Nume. 2, & volve eum ſurſum verſus lineam Cathetam. Dehinc poſitus ſupra Num. 3, volvatur deorſum uſque ad ſupradictam lineam. Poſtea ſupra Num. 4 poſitus iterum volvatur verſus Cathetam. Illic teneas circinum, ferens ejus unum pedem ſupra Num. 5. Et revolens, fac ſimiliter ſupra Num. 6. Sic clauditur oculus: in quo poteſt ſculpi floſculus aut Roſa. Item à Capitello vel ab oculo deorſum erunt

tres partes, à quibus columna ſumitur, ad Capitelli ornatum. Item, ſi Columna fuerit alta 12 vel 15 pedes, fiet altitudo Epiſtylii ex altitudine ſpiſſitudinis columnæ infrà. Striæ columnæ, quæ Canales vocantur, erunt numero 24. Vna earum dividetur in quinque partes. ex quibus quatuor ſumuntur pro Canaliculis; quinta pro Cincta, quæ Striga dicitur. Et ſic ducitur ab uno margine loci Cinctæ uſque adalium recta linea, cujus medium erit centrum concavitatis. Et, ſi quando volemus exſtruere Columnam iſtac majorem, fient tunc Striæ 28 numero. Item Abacus à latere tam latus eſt ut antè. Præterea fiet Epiſtylium aut Architrabs altum ut ſpiſſitudo Columnæ ab infrà, ſi Columna fuerit 12 vel 15 pedes alta, ut dictum eſt. Sed ſi Columna altitudinis eſſet à 15 uſque ad 20 pedes, habebit tunc Architrabs tredecimam partem. Et, ſi fuerit illa 20 vel 25 pedum altitudinis, dividetur tunc Columna in duodecim partes cum dimidia, & unam harum habebit Architrabs. Si columna fuerit 25 aut 30 pedum altitudinis, erit tunc duodecima pars pro Architrabe. Denique ſi altior Columna fuerit; hoc Architrabs etiam ſequi debet. Hæc Architrabs dividetur in ſeptem partes. unam earum habebit Cymatio: ſimiliter & projectura: ſex reliquis in duodecim partes diviſis, tres harum habebit prima aut inferior Faſcia, quatuor ſecunda, quinque tertia Faſcia. Latitudo Architrabis infrà erit æqualis & perpendicularis cum ſpiſſitudine Columnæ ſuprà; & ſpiſſitudo Architrabis ſuprà, erit ſimilis Projecturæ aut exſtantiæ ut Columna inferius eſt. Zophoros aut Friſa, ſi aliquid in ea ſculpatur, fiet quarta parte altior Architrabe: ſed ſi vacua mittatur, fiet illa tunc quarta parte minor. Supra Friſam ponitur ejus Cymatio: quæ debet habere ſeptimam partem Friſæ: & Projectura etiam tantum. Supra Cymationem ponitur Denticulus, in altitudine ut ſecunda Faſcia, & projecturâ ut altitudo. Latitudo Denticulorum fit ut medietas altitudinis ſuæ. Concavitas inter dentes debet eſſe tertia parte gracilior. Cymatio habet ſextam partem Denticuli. Corona cum Cymatione ſua eſt etiam ejuſdem cum media Faſcia altitudinis. Projectura Coronæ cum Denticulo teneat tantum, quantum altitudo Friſæ cum Cymatione. Schema ſit octava parte altius quam media Faſcia; & Cincta ejus habeat ſextam partem. Projectura ſit ut altitudo. Et ſic fiunt omnes Ecphoræ aut anguli, præter coronas, (ait Vitruvius;) qui ſemper hoc modo ſcitè conſtructi erunt. Item ſi hanc Columnam ponere voluerimus ſuper Pedali aut Stylobatha ad elevationem, tunc erit latitudo corporis perpendicularis cum plintho baſis columnæ; altitudo habebit ſeſquiquadratum: & addetur adhuc ſexta pars Baſi, & ſimiliter una coronæ: & ſic pedale altum erit octo partes; ſimiliter & columna. Item propterea quod opera antiquorum à doctrina Vitruvii aliquando differunt, compoſui ego hic in hac figura Ionica alium quoque modum ex Sebaſtiano Serlio, quantum ad Architrabes, Friſas & Coronides. quem artis hujus Amator facilè comprehendere poterit. Hiſce ad Corinthiam accedemus.


a. Cimatium.
Sima.
Corona.
Zophorus.
fascia.
fascia.
fascia.
IONICA
thorus.
supercilium.
scotia.
astragali.
scotia.
plinthus.
spira.
thorus.
supercilium.
scotia.
astragali.
scotia.
plinthus.
K


Ignographie.
Voluta.
Volutta.
IONICA.
½ 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 ½
ABACUS.
1 2 3 4 5 6 7 8
Volutta.
cathetus.
pedestali.
7 1 2 3 4 5 6 7 8
L


IONICA.
Hæc Architrabs Zopborus et Corona, Romæ videre sunt in Theatro Marcelli, in ordine Ionica super Dorica.
scima.
a
b
corona.
a
1 2 3 4 5 6 7 8 9
b. timpanum.
M

DESCRIPTIO
de dispositione & exornatione
CORINTHIÆ.

PRimitùs de hoc Capitello Corinthiæ scribit Vitruvius, illud factum fuisse causa virginis filiæ civis Corinthiaci, cujus mortuæ sepulchro nutrix ejus coacervata pocilla & vascula ejus in testa imposuerat, (videtur quod hoc tunc moris erat,) tegula hoc totum cooperiens. Evenit ut inter illa & radix acanthi foret, quæ verno tempore folia porrigeret, quę ita circumcreverunt, ut velut coactæ volutas ibidem fecerint. Cumque tunc famosissimus ille architectus Callimachus (artis suę gratiâ ab Athenienſibus *Catatechnos* vocatus) præter hoc monumentum transiret, videretque & foliola & surculos taliter circa testam illam succreta; novitate rei inductus, posuit ille in opere symmetriam hujus Capitelli. & sic retinuit hoc nomen Columnam usque ad hodiernum diem. Sicut Columna Dorica suum nomen tenet à Doro, qui eam primum (ut Vitruvius scribit) ad opus ordinavit, in Argorum civitate templum ædificans; ubi ille talem columnam Doricam fecit, & successores à Doro vocaverunt eam Columnam Doricam usque ad hunc diem. Rediens ad Corinthiam, antequam ad Capitellum veniam, recensebo quem ordinem Basis habeat secundum antiquorum usum. Nam Vitruvius hoc Capitellum potius imponit Columnæ Ionicæ, illud ibidem relinquens. Sed veteres Romani (in his & multis aliis magnam voluptatem capientes) exornabant hanc Basim plurimis membris, ut videndum est apud Pantheon, ex pulcerrimis operibus ad hoc pertinentibus. nam Romæ ad S. Mariam Rotundam symmetria talis est: Columna, Basis & Capitellum constant novem partibus. ex quibus Capitellum altum est ut spissitudo Columnæ deorsum, Basis ut medietas spissitudinis Columnæ. hujus medietatis in quatuor partes æquales distributæ unam Plinthus habet. reliquarum trium in quinque divisarum unam habet Torus superior. verum inferior Thorus quarta parte major est. porrò quod reliquum est, bifariam divisum est, ita ut una pars pro Schotia deorsum cum Astragalo & Cinctis suis, pro Astragalo sexta pars Schotiæ, & pro quavis Cincta dimidium Astragali sit: Cinctula Tori inferius habebit duas tertias partes Astragali: Cinctula subtus superiorem Torum habet tertiam partem plus quam alter, &c. Si hæc columna supra aliam constituatur, tunc illam faciemus Ionicam: sed supra proprium fundum constituta, ut Dorica fabricatur. Item, hoc Capitellum in altitudine erit ut columna deorsum, ut dictum est. Ex illa habebit Abacus septimam partem. reliqui trifariam divisi una pars erit pro foliis deorsum, altera pro foliis in medio, tertia pro Cauliculis aut Volutis quæ ex infimis foliis succrescunt aut germinant, sicut in figuris spectandum proponitur. Subtus Abacum sit Cinctula ut dimidium Abaci. reliquum trifariam distinctum erit, ita ut una pars sit Cymatio cum Cinctula; altera, Plinthus; & in medio Abaci ponatur flos. Media & infima folia supradicta, sunt singula aut debent esse numero octo. Abacus latus est ut spissitudo duarum Columnarum deorsum. Vt Abacus ponatur in sua forma, rediges diametrum in quadratum; extra ejus quatuor angulos circulo rotundo ducto facies aliud quadratum circa hunc circulũ: quod ubi diagonio dividetur, ostendent se lineæ longitudinis duarum diametrorum, secundum Vitruvii doctrinam: attamen linea signata A B fiet triangularis; & ex inferiori punctulo circino ducto, manente quartâ parte ab inte-

riore circulo ad exterius quadratum, formam habebis Abaci, (ut tibi figura dilucidè demonstrat:) & hoc modo constitutus, veniet Abacus perpendiculariter cum Plintho Basis Columnæ. Quod ad Architrabem, Frisam & Coronidem attinet, harum nullam dispositionem (ut supra diximus) dat Vitruvius; quamvis ponat mutulos, ut in omnibus modis Coronidum fieri possunt. Super hanc igitur possunt poni ornamenta Ionicæ, subjungendo Astragalos in Architrabe, & Echinum subtus Coronam. Architrabs exstructa ut in Ionica dictum est, fiet sub secunda Fascia Astragalus ex octava parte ejusdem Fasciæ, & sub superiori similiter ex octava parte. Exinde constituta Frisa cum Cymatione, & Denticulis cum Cymatione, imponetur eis Echinus, similis cum inferiori Fascia altitudinis. Super hæc ponuntur Coronę, Cymatio & Schemata, ut in Dorica relatum est. Quod ad Columnam attinet, de ea scribit S. Serlius, quod illa dividenda sit in tres æquales partes cum Basi & Capitello; & una earum partium habet (dicit ille) Architrabem, Frisam & Coronidem. & talis altitudo convenit etiam cum Dorica. Hac tertiâ parte in decem distrubitâ, erunt tres pro Architrabe, tres pro Frisa, & quatuor pro Coronide. hæ quatuor dividuntur in novem: unam habet Cymatio supra Frisam, duas Echinus cum Cinctula sua, duas Mutulus cum Cymatione, alias duas Corona, & ultimæ duæ sunt pro Schemate, cum Cymatione sua, quæ ex quarta parte Schematis fiet. Projectura onmnium sit similis altitudini. Hæc ille de his scribit. Item secundum Vitruvii institutionem fiunt Architrabes, Frisa, & Coronis ex quinta parte altitudinis Columnæ. Quod ad mutilationem hujus Columnæ attinet, ut de aliis dictum est, fit & ea sexta parte gracilior suprà quàm infrà. Striæ modo Ionico; attamen ex tertia parte ab infimo sursum non erunt ejus Canaliculi excavati, sed debent manere referti. Item Architrabes, Frisæ, Coronidesque, absque Mutulis sunt. Ex iis Architrabs habebit dimidium spissitudinis Columnæ. Frisa propter sculpturam quartâ parte altior est Architrabe: & Coronis, absque Cymatione Frisæ est alta ut dimidium spissitudinis columnæ deorsum. Et hoc omne hîc enarratum est ad Architecti instructionem: & quæ Vitruvii institutiones ad hoc sufficere possunt, eæ, meâ sententiâ, non rejiciendæ sunt. Quod si Columna hæc imponetur Stylobathæ, tunc fiet corpus perpendiculare, cum Plintho Basis Columnæ. Qua latitudine trifariam divisa, ponentur illæ quinque partes in altitudine, & hæ quinque in septem dividentur, qualis septima tunc Basi adjungetur, & una Coronidi: quæ faciunt simul novem partes, secundum ordinationem Columnæ, qua valdè accepta proportio membrorum hujus Basis & Coronidis retinetur; sicut Sebastianus Serlius dicit, Romæ atque alibi se eam commensurasse: & ego hîc aliqua fideliter in figuras transtuli, quæ mihi gratiora & utiliora videbantur ad usum. Posui etiam in figuris hîc Capitellum Arcus triumphalis, stantis supra littus Anconæ: cujus structuræ animadversio super alia valdè exquisita fuit: quamvis ejus altitudo aliquantulum differat à Vitruvii doctrina. Columnæ ejus sunt Canaliculis factæ, uti hic demonstratur. In tertia figura Corinthia est Pedale cum Basi. Desuper est membrum ejusdem Arcus. Ex quibus sat comprehendi potest, quam laudabile sit illud opus. Insuper est & coronis, signata B, valdè congrua pro Corinthia: & est absque Modulis. Basis Pedalis, notata D, est valdè concinna: & usurpatur ordinariè ad Corinthiam: nihilominus apud Ionicam declarat Serlius se eam etiam vidisse, &c. Hic strictim habes quod super Corinthia conducibile duxi.


Capitellum.
CORIN
THIA.
Capitellum.
Capitellum.
Basis.
basis.
thorus superior.
Scotia.
astragali.
Scotia sive trochilis.
thorus inferior.
plinthus.


CORIN
THIA
plinthus.
Stylobate.
sive
pedestalli.
A
A
o. scima.
n. cimatium.
m. corona.
l. echinus.
k. cimatium.
i. denticuli.
h. cimatium.
g. phrise.
f. cimatium.
e. fascia.
d. Astragalus.
c. fascia.
b. Astragalus.
a. fascia.
P




basis.
Corona.
B
corona.
CORIN
THIA
basis.
basis.
D
24
Q

DESCRIPTIO
de exornatione & ordine
COMPOSITÆ.

Ompoſita ſignificat idem ac mixta. Ea fit enim ex antedictis ſimul coadunatis. Et profectò bonus Architectus re ipſa callere debet, quo pacto, ſi res ita poſtulet, ex ſimplici fieri compoſita vel mixta poſſit: ut ita ſubveniat nudis minuſque ornatis, qualis Tuſcana eſt, qua ruri tantummodo uti ſolebant. Quomodo autem hæc Columna tam extra quam intra civitatem Florentiæ exſtructa fuerit, quantâque ſolertiâ & ingenio illam Architecti ornarint, plus ſatis demonſtrant probantque adhuc hodie perpulchra ædificia & fabricæ antedictæ civitatis, quæ ad ſagacem trutinam Doricæ, Ionicæ, & cæterarum, valdè affabrè ſciteque ſunt compoſita: ita ut ad eorum Architectorum perpetuam memoriam cum Plinio liceat exclamare, quod illorum laus major immortaliorque ſit, quam eorum qui talia ſuis ſumptibus fieri curarunt. Immò C. Plinius tanti hos facit, ut illos criminatus ſit, qui aliqua ſtructuræ opera ſcriptis tradidere, ſilentio prætereuntes nomen Magiſtri & Inventoris: multum diſſentiens ab his, qui ſuorum rudium progenitorum (qui pecuniam ſupra omnem ſcientiam colebant) proverbium continuo in ore volvunt revolvuntque, *Nempe quod indagatores artium, ſint inventores precarii victus*: Quum hi Scythici (ne peius addam) non videant, quam multi, hodierno die, & ingenioſi & docti viri, proſperè res ſuas agant, præter laudem immortalem, quam hac ratione adipiſcuntur. Si omnes recenſere deberem, quantoque in honore & reputatione teneantur pictores, iconographi, hermoglyphi, aurifices, ſtatuarii, effigiatores, architecti, lapicidæ, dædalicique fabricatores, & cæmentarii, quantaque gratia & favore fruantur & polleant apud Cæſaream Majeſtatem multosque alios illuſtriſſimos principes, magnates, & dominos, heic illic per Germaniam ſuperiorem & inferiorem, Italiam & Galliam: equidem papyrus me defecerit: ut de univerſâ Europâ nil dicam. Sed ad propoſitum prædictæ Compoſitæ redeamus. Quanquam Vitruvius non tradat nobis niſi quatuor Columnarum inſtitutionem, attamen hęc quinta ſecundum antiquorum authoritatem & uſum iis etiam adjungatur oportet. nam Vitruvius nequaquam omnia comprehendere potuit. Hæc igitur à Romanis ſępenumero Vocata fuit Italica. unde videtur quod hæc ab illis, ut prędictæ Columnæ à Græcis, inventa fuerit. Hanc Compoſitam fecere ponendo volutam Ionicę cum Echino in Capitello Corinthiæ: cujus uſus ut plurimum fuit in arcubus triumphalibus & aliis ædificiis, quoties de Regionibus

quarum gratia tales arcus triumphales exstruebantur, triumphos agebant. Velut in Colossi fabricâ triplex ordo hic, Doricæ nempe, Ionicæ, & Corinthię, quarum una superstabat alteri, fuit observatus: & ubi spectantium oculos fugiebat, posuerunt mutulos in Frisis. atque sic opus ipsum locupletabant, ipsique projecturæ Coronæ subveniebant: quo factum, ut propter modulos in Frisa, architrabs, frisæ, & coronides una sola esse coronis apparerent. Altitudo columnę Compositę fit ex decem partibus cum Basi & Capitello: Basis, à medietate spissitudinis columnæ inferius, vel ad Corinthię modum. Si striare voluerimus Columnam, modus Ionicus, aut etiam Corinthiacus erit, secundum placitum Architecti. Capitellum, ut Corinthię. Volutæ aliquantulum majores quam Cauliculi. Hoc Capitellum spectatur Romę ad arcus triumphales Vespasiani & Titi, cum prędicta Basi, & hîc in figura signata A. Architrabs, Frisa & Coronis si procul distent ab oculis, erit tunc Architrabs alta ut spissitudo Columnę superius: Frisa, ubi mutuli insunt, fiet ex eadem altitudine. Cymatio à mutulorum sexta parte. Projectura mutulorum sit ut altitudo, & hoc pro communi usu. Posui hîc diversas figuras, ad Architecti promotionem, à quarum membris particularibus exemplar sumi potest. Stylobathę corpus duplo altius erit quã latum: & hoc in octo partes diviso talis una pars adjungetur Basi, & aliæ Coronę, secundum vulgarem regulã, quoniam cum hæc Columna sit gracilentior cæteris, oportet eam etiam Pedale aliis gracilius habere. Hujus Compositæ non multa spectantur ædificia, præter arcus triumphales, ut dictum est. Sed ad propositam supra regulam potest architectus hanc facere, & ea uti, prout ex figuris hîc demonstratis adjumentum earum videndum est. Et hoc succinctè, ad institutionem columnæ Compositæ, enarratum esto.


Capitellum.
A
PARTIC VLARIA
MEMBRA IN ORDINE
COMPO SITA
SECVNDV M VSVM
ANTIQ VORVM.
basis.
basis.
S


Corona.
basis.
Capitellum.
A. architrabe. B. phrise. C. corona.
C
B
A
COMPOSITA
basis.
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
pedestalo.
basis.
C
B
A
T


COMPOSITA.
Capitellum.
Capitellum.
basis.
V

DILVCIDA
instructio de quadruplici
SYMMETRIA.

SIcut in architectura sunt aliqui loci, de quibus ferè certa regula dari potest, sic etiam ejusmodi ea locos habet, ubi Columnæ diversis suis positionibus incertas commensurationes in sese exhibent. Et hęc varietas provenit, cum columnę in insulam & solę ponuntur, absque adjumento aliarum Columnarum aut Pilarum. hæ enim magnum ferunt pondus, ut in hac præsenti figura, in Columna quę per A signatur, ad oculum demonstratur. Sed si illa muro adjuncta fuerit, etiam rotunda existens, ita ut murus Columnæ sustentationem juvet, potest ea tunc Columnæ spissitudine altior fieri: ut spectare licet in exemplo Columnæ signatæ B. Et, si duabus tertiis partibus extra murum duceretur, posset tunc & alia spissitudine altior fieri. Et sic videmus eas scãdere in aliquibus ædificiis usque ad novẽ spissitudines & dimidiam: id quod in Colosso, columnâ Doricâ, uti heic ad columnam literâ C notatam demonstratur, evênit. Et cum à latere pilas habent, tunc incumbit onus ut plurimum supra illas: tunc & Columna potest gracilentior tenuiorque fieri, nempe usqueadeò, ut magis ornatus quam firmitatis gratiâ poni videatur. Potest etiam Columna duabus tertiis partibus extra murum constitui, ponendo à quovis latere mediam Columnam: unde etiam hæc columna una spissitudine altior potest evadere, ut hujus rei exemplum exstat ad columnam D. Et, si Columna aliquod onus ferre debet, absque subsidio aliarum columnarum, non est licitum prætergredi hanc regulam: & si ordinem super ordinem tenere debent, erit necesse columnam inferius majorem facere: & si columnæ absque Stylobatha satis altæ sint, fient illæ ex infimo ordine. Sed ordini secundo & tertio benè conveniunt Pedalia, ad exaltandum. Hos ordines observaverunt congruè veteres Romani

mani in theatris amphitheatrisque. Item Projectura superstantis columnæ non potest magis exstare quam spissitudo columnæ inferius patitur: & Projectura Basis Columnæ debet quiescere supra massam sui Pedalis: super quod ponetur Columna quarta parte minor quam inferius, tamaltitudine quam spissitudine: Projectura Basis ut Pedale, uti videndum est ad Columnam signatam A. Et hoc secundum Vitruvii doctrinam ferè idem. Si noluerimus tantopere mutilare Columnam, poterimus superiorem columnam inferius facere secundum spissitudinem inferioris columnæ superius. exemplum constat in Columna B. & hæc exstructa est ad theatrum Marcelli. In Colosso sunt columnæ Ionica, Corinthia, & Composita, unius spissitudinis omnes. Dorica est infrà ferè vigesima parte crassior: & hoc propter operis altitudinem. nam si hæ quarta parte mutilatiores fuissent, prospectus supra nimis parvus accidisset. exemplar hujus habes ad Columnam C. Item si voluerimus exstruere mediocria ędificia extribus ordinibus, erit optima regula, quarta parte minus secundum Vitruvii doctrinam. Et qualem tibi heic figuram secundum ordinem Doricæ exhibuimus, tales ex omnibus Columnarum modis secundum prædictam figurę mutilationem fieri possunt. Magis enim tibi satisfacient. Atque his bonorum Amicorum desiderium pro virili explere conatus sum.

Henricus Hondius, æris Sculptor.


A
A
B
B
C
D
D
Y


THVSCANA
DORICA.
Z


AA

IONICA SVPER DORICA.




ION
ICA
Joan. vredman vriesi inven.
BB


CORIN THIA
I. V. vriese inventor.


DD




COMPo SITA.
I. de vriese inventor.






Paul. vred. vriese Inventor.
THVSCANA VISVS.
Henr. hondius formis Cum privilegio.
FF

P.V. vriese inventor. DORICA. 2. AVDITVS. Hondius formis. GG



P. V vriese invent. IONICA. 3. ODOR. Hondius formis. Cum priuil. HH.


P. de vriese invent.
CORINTHIA. 4. GVSTVS.
Hh formis hagæ-comitis.

Paul. de vriese Invent. COMPOSITA. 5. TACTVS. *Ih form. Cum privill.* KK


FORVM MODERNIS ÆDIFICIIS.
P. de vries e inv.





CVBICVLVM IN TROSPICIENTIBVS MODERNVM. MM


I. de vriese inv.
TEMPLVM intro spicientibus modernum.
NN

Templum Introspicientibus modernum. henr. hondius sculpsit. 00